

Q. B. V. D.

DISSERTATIONEM

De

SUMMI EN-
TIS NECESSI-
TATE,

Indultu & Approbatione Ampliff. Or-
dinis Philos: in Regia ad Auram
Academia,

Sub

PRÆSIDIO,

VIRI CLARISSIMI

DN. M. CHRISTIERNI
ALANDRI,

Eloqv. Profess. Ordinarii.

publicæ doctorum ventilationi submittit

ERLANDUS TORRI

In Audit: supremo ad diem Febr:

Anni MDCXCIV.

Exc. apud JO. LAUR. WALLIUM.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO,

DN. JOHANNI
GEZELIO, J. F.

S. S. THEOLOGICÆ DOCTORI
Celeberrimo, Diœcesios Aboënsis
EPISCOPO Eminentissimo, Regiæ
Academiæ PRO-CANCELLARIO
longe Gravissimo; nec non Con-
fistorii Eccles. PRÆSIDI Am-
plissimo æqvissimo.

VIRO, in singulis officiis, Pietatis zelo
ac vigilantia maxime inclyto.

PATRONO suo ac DOMINO æterno-
obsequii & venerationis cultu
devenerando.

*Gratiam, Pacem atque omnigenam be
Datore, per Filium Sal-
Spiritu*

SUMME REVERENDO ATQUE AMPLIS-
SIMO DOMINO

**DN. JACOBO
FLACHSENIO,**

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
ejusdemque PROFESSORI Pritna-
rio Celeberrimo, Diœcesios Aboënsis
ARCHI-PRÆPOSITO Meritissimo,
Ecclesiaram Aboënsium: Svecanæ ac
Fennonicæ, ut & Numensis PASTORI
Vigilantissimo, utriusque Consi-
storii ADSESSORI
Gravissimo.

MOECENATI AC PROMOTORI jugi
obsequio reverenter suspici-
endo.

*nedictionem, A DEO Patre omnis boni
vatoreni unicum, in
Sancto!*

Flere olim, Patres in CHRISTO
Reverendissimi, quemadmo-
dum etiam hodie permulti sunt,
qui Philosophicam DEI investi-
gationem nihil utilitatis adferre putabant,
proptereaq; non modo e foro suo eliminandam,
verum etiam perpetuo exulare voluerunt, du-
cti ratione: quod sola Scriptura Sacra sit infalli-
bile principium cognoscendi DEUM, Philoſophi-
ce autem conclusiones in hoc negotio aut nulla
aut etiam inutiles atq; vanae. Verum ve-
ternosissimi sunt hi rerum Spectatores qui ni-
hil aliud intempestiva sua hac sedulitate (ne
dicam morositate) procurant, quam vel ut
jucundissimum illud animi pabulum, Divini
Numinis contemplatio, nobis praeſcipiatur, vel
se vereri ostendunt, ne de DEO cogitando
lea

legendo meditando, nimis pii evadamus, vel
etiam ne nimis multe lampades ad contem-
plandam Summi Entis pulchritudinem accen-
dantur. Nos autem melius edocti dicimus:
Unius positio non est alterius exclusio, Ar-
gumentationemq; illam: DEUS cognoscitur
ex Scripturâ Sacrà, & non ex libro nature,
& baculo ad angulum esse rite pronuciari
non dubitamus. Quemadmodum enim Ni-
hil tam alte natura constituit quo virtus non
possit eniti; ita quoque nihil tam vile, tam
abjectum, aut fragile à summa illa potestate
productum creatumve est in quo DEI immen-
sam vim, sapientiam atq; potestatem con-
templari quis non possit. Sc. præsentemq;
refert quælibet herba DEUM. Utilis igitur
est & maximè necessaria naturalis hæc
Summi Numinis indagatio, & quidem pri-
mo ad convincendos infideles, sint sive theo-
reticè tales sive practicè, aliosque ejusdem
generis combenones, utpote Socinianos, quæ
naturalem hanc DEI cognitionem omnino
negant; quos enim nulla religio demulcere
aut Scriptura Sacra sive auctoritas, promissio
aut comminatio mitigare potest, bis ipsis quasi

oculis, quem non credunt, conspiciendus fistitur.
Secundo etiam ipsi fideles utilitatem hanc
magnam experiuntur, dum fidem suam hinc,
indies, magis magisque adstringi sentiunt. Ex
cognitione enim incomprehensibilis Divinae
Numinis eminentiae, eximium illud *γνώσις*
σπουδῆς discitur, ex propria autem miseria
notitiâ totum illud quicquid ad religiosum
cultum impellit, profluit. Tertio In Theo-
logia, & quidem in providentiae divinae expli-
catione quis usu hujus notitiae carere potest,
siquidem nec ullius concussiois certitudo
in Theologia haberi potest nisi ante probetur
DEUM, summe veracem causamque omnis
boni, necessario existere. Quarto In Philoso-
phia quoque utilitas hujus tanta percipitur,
ut nullius rei scientia obtineri possit, nisi prius
perspecta sint cause, cause autem nullae perfectè
cognosci possunt nisi ad primam & supremam,
prius, quæ est DEUS, recurratur. Thema
hoc Reverendissimi in Christo Patres
breviter (siquidem impensis consulere necessum
habui) pertractatum vestris nominibus in-
scribere non temerariâ aliquâ audaciâ occu-
pavi, verum quod id quod alias nihil de-
lica

licatis labiis sapidum aut dignum continet;
vestris tamen nominibus exornatum, gratum
atque acceptum fore nullus dubitaverim. Ac-
cipite igitur vos, summi DEI Sacerdotes, se-
vena fronte exiguum hocce atque levidense
munus, meque gratia vestra sinu excipite, quò
dum vitali descors aurà, Cælum pro per-
petua vestra incolumitate, calidissimis su-
spiriis onerare nunquam desisto

AMPLISSIMORUM NOMINUM
VESTRORUM!

Humilimus cliens

ERLANDUS EDOR.

Venerabilis ac Pereximia

DN. ERLANDE TORU

Dissertationis hujus Autor industrie,
— Amice vetus.



Quod doctrina viget CAROLINUM
facta per orbem,
Post summum, CAROLO reddi-
mus omne, DEUM.

Heu quantis errat gens Ethnica merſa
tenebris!

Neve colat nullū, numina mille colit.
Quidquid habet tellus, quicquid pel-
agusque polusque,

Vana ſuperſtitio credidit eſſe Deos.
Hinc lapis, aut fictum quæ contegit
aurea gypſum

Bractea, divini cauſa timoris erat.
Interea torpent menti veſtigia noſtræ
Numinis æterni fixa, ſepulta tamen.

Has, ERLANDE, tuo nebulas pepuliſſe
labore,

Si potes, egregiam rem potuiſſe
clues.

T. RUDEEN,
Poët. Prof. Ord.

Reverende
Domine **TSRN!**

Sunt haec pauci, vividi ac ignei tui ingenii, testes non dubii: quibus & benignius factum id axioma concessit & tu istam arbitrandi partem recte defers, & ego jure suo meritoque libens relinquo. Alii devotione tua humanitate & eruditione, quae praeter multis polles, nihil dicent Sapientius, nihil elegantius, vel optandum magis. Ego, cum Candidatus litterarum prope diem creaberis, saltem candoris tui & animi constantiae, quae virtus tibi non usu non opere crebro propria, aut arte in speciem ficta, sed ex naturae gratia domestica & connata videtur, inopinatus non tamen fallax praecoexistis. Si pro concione loqueris, pium & non adfectatum in te veneramus *Zelum* dum vitia reprehendis, *serenitatem*

tem dum mæstitiæ nubes dissipas, *doctrinam* dam pro fide pugnas. Cum aut exercitium scribis aut specimen dici ostendis, non turgida uteris oratione, non inaniter luxuriantem, aut imaginariæ scientiæ sono non sonoro crepera, sed solida, sed mascula, succi & sanguinis plena. Cum in amicorum turbam prodis, *sive hypocritica sanctorum larva illis conversaris*, nihil rectum, nihil ementita pietatis specie fastuosum præ te ferens. Nunc quoq; cum antiqui moris haut degener, noticiam Summi Numinis ex naturæ libro vindicabis, Spondeo futurum Te, literatis minorum quidem gentium, exemplum: majorum verò partem veram nec contemnendam. Vale!

à Tuo

JO: RINGTO,
Min. Ev. & Le& Sch.

*Voluntarias oblationes oris mei accepta quae-
so JEHOVA, & jura tua doce me Psal. 119. 108.*

THESES. I.



Quam multo feliciores nos
simus Christiani, Gentili-
bus atque Ethnicis, id vel
exinde constat, quod cum
illi mortis caligine offusi, ab uno &
vero DEO discedentes, cultum suum
ad substantias creatas, easq; vel spiritu-
ales vel corporeas, transfulerunt aut
etiã transferunt; nos non solum cum illis
notitia naturali, verum insuper *θεογνωσία*
revelata gaudeamus; unum DEUM in
Trinitate, & Trinitatem in Unitate ve-
neremur. DEUM esse nemo est qui
ignorat, DEUM autem verum per plu-
rimi. Quamvis vero aliqua hetero-
clita capita fuerint eorum qui DEUM
esse dubitarant, utpote apud Cicero-
nem, lib: 1. de natura Deorum, Pyta-
goras, Sceptici &c. Aliorum qui eun-
dem omnino negarant, ut olim Diag-
oras Melius, Theodorus Cyrenaicus, &

12
nostro seculo Casimirus Litzynski Pod-
sedek Brzeski Warschoviensis, qui A. 1688
decisive & positive Atheismum defen-
dit, & seipsum Atheistam vocavit. vid.
Elucid: Hær: & Schismat: Pauli Stock-
manni, tit: Athei p: m: 62. eorum ite-
rum qui quanquam DEUM ob Divi-
næ naturæ præstantiam coluerunt atq;
æstimarunt, illum nihilominus ab o-
mni humanarum rerum cura exeme-
runt, ut Epicurus, Celsus &c. Quorum
dementiam ita describit Regius Psaltes
Psalmo 14. comm: 1. Dicit stultus cum
animo suo non est DEUS cont: Ps: 10.
comm: 4. *Illi tamen verba sunt Clarss:
Puf. de off: Hom: & Civ. lib: 1. cap: 4. p:
m. 45. Atheismi sui excusationem non inde-
munt. Cum enim universum genus huma-
num in perpetua velus possessione istius per-
suasionis fuerit, necessum erit si quis eandem
oppugnare velit ut non solum omnia argu-
menta quibus Deus esse probatur solide de-
struat, sed & plausibiliores rationes pro as-
sertione sua proferat.*

THE: II.

Ut autem in eorum quæ jam dicta sunt penitiolem considerationem deveniamus, ad prime tenendum, distinguere communiter atheismum in *negativum* & *privativum*, quæ distinctio plane coincidit cum illa, quæ distingunt inter *nescientiam* & *ignorantiam*; aliud enim est nescire DEUM, & aliud cogitare non esse DEUM, sive illud scire non velle, & hoc de homine affirmatur illud vero non. Præterea distinguuntur Athei in *theoreticos*, qui de DEO scrupulosas fovent opiniones, & *practicos*, qui ex pravo affectu atque dispositione seducti, DEUM omnino negant; unde orta est illa distinctio inter *ἀγνοῦσαν κατ' ἀπόφασιν* & *κατὰ διάθεσιν*. Porro hic quoque probe tenendum quod quemadmodum athei non sunt in numerum hæreticorum, stricte sic dictorum; ita nec Epicuri in catalogum atheorum referendi; error enim horum quamvis maxime fundamentalis, circa eminentiam tamen DEI ex collatione

sublunaris hujus vilitatis; non vero in
ejusdem existentiae ejectione constat.
Unde satis congrue auctor libri, de
relig: Medic: qui Thomas Browne An-
glus perhibetur, citante Pfeifero Dub:
Vex: p: m: 567. *Illud inqviens, Epicuri
dogma, quo Divinam providentiam sustulit,
atheismus non erat ex sublimi & magnifica
opinionem de Deo concepta, majestatem ejus
indignam judicavit, que viles istas infero-
rum actiones curaret, & paulo inferius: Porro
si Philosophi olim quidam athei dicti, id non
inde fuit, quod nullum Deum scirent, sed
quod non eosdem cum vulgo admitterent.*
Sed dices forte; gladio proprio te jugu-
las, siquidem ex ipso illo Psalmographi dicto
Psal. 14 comm. 4. maxime nescientiam
hanc probari posse videtur: tum re-
spondemus, salvam omnino rem esse,
attendas modo, mentem suam ibidem
sanctum illum virum non promere per
עַל לֵב נֹכַח non novit; sed אָמַר בְּלִבּוֹ
dicit in corde &c. Aliud itaque nescire,
& aliud falsa persuasionem captum, rem
ad propriam libidinem, hoc vel illo

5
modo imaginari. Per stultum propterea
loc: cit: nullus alius indigitatur, quam
ille qui propriis affectibus fascinatus,
nihil pensi habet, dum modo ex suo
aliorumque cerebris numinis metum
excutere queat.

THES: III.

His prælibatis, præeunte insuper
D: Paulo ad Rom 1 comm: 19. di-
cente: τὸ γινώσκον τῆς θεῶν φανερόν ἐστιν ἐν
αὐτοῖς, talem stuporem cum Ethicis i-
gnorantiam consequentem atque affe-
ctatam nuncupare non dubitamus. Si
vero alicui ut dubium obversetur, quid
per γινώσκον θεῶν intellexerit gentium Do-
ctor, conferat versus 18. & 32. & depre-
hendat idem ab illo in versu superiori
vocari ἀλήθειαν in inferiori autem δικά-
σωμα θεῶν quibus verbis, omnia illa quæ
ad naturalem DEI cognitionem perti-
nent, continentur. Quemadmodum
propterea conceptuum nostrorum se-
ries non mutat ordinem rerum, e: g:
si de se affirmare quis fastineret se con-
cipere non posse quomodo maris sive

aquarum altitudo, terræ altitudinem exsuperaverat; ex hac præconcepta opinione, creationis tamen series non mutaretur: ita quoque nec affectus malitiæ tollit habitum naturæ. Licet enim negaverit quis DEUM, manet tamen hoc semper immotum, quod nisi spiritus esset, manibus palpari posset. conf: Act: 17. v. 27. & 28. Cæterum quod per plurimi evidentissimæ hujus legis dictamen obliteraverant, exinde non licet argumentari, quasi notiones hæ naturales, minus certæ aut veræ manserint, cum quæsitum nostrum non sit: quid constet apud eos quibus laborat mens, aut perversa est; sed apud eos homines, qui recte & ut oportet sapiunt. De quibus eleganter sic Beyerus in additam: ad cap: 3. Prolog. Joh-Seld: de diis Syr: p: m: 36. *Quamquam hanc notitiam naturalem; (licet non saluarem) dari asseratur, tamen ex justa DEI desertione & Diabuli potentia sic potest elidî, ut possibile sit dari ad tempus tamen quor-*
dams

7

*dam Speculative arbes, non per naturam
sed per excoactionem.*

THES. IV.

Facile itaque dispalescit nasei nobis-
cum principia practica, quorum
terminis intellectis, sine ulteriori inqui-
sitione DEUM infallibiliter dari novi-
mus. Omnibus namque de Diis opi-
nio insita est, nec ulla gens usquam
est adeo extra leges moresque proje-
cta, ut non aliquos Deos (Deum, dixisse
debuisset) credat. Senec: Ep: 117. Quod
amplius ita explanat Lactantius lib:
x. n: 2. p: m: 6. *Nemo, inquit est tam
rudis, tam ferus moribus; quin oculos suos
in caelum tollens, tametsi nesciat cujus DEI
providentia regatur hoc omne quod cernitur;
non aliquam tamen esse intelligat ex ipsa
verum magnitudine, motu, dispositione, con-
stantia, utilitate, pulchritudine, temperatione,
nec posse fieri quin id quod mirabili rati-
one constat; consilio majore aliquo sit instructum;*
Tantum ille. His motus Poëta atq;
tragicus Græcus Euripides Phryxo.

Advertite, *inquit*, qui Deum non creditis,

Pravaque mente duplicatis crimina,
Est, est profecto.

THESES: V.

Huic ad stipulantur etiã alii Philosophi, idem stabilire conantes ex Ente necessario, ut vocant: quod exinde, procul dubio, quod Aristoteles 4. Met. c. 5. dicit τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶναι, ἀνάγκη αἰὼν φάμεν, deductum habent; tum ex conjunctione illa extraessentiali, deprompta ab ea *χέσει*, quæ rebus intrinsicis competit. Causarum enim nexibus replicatis, necessum omnino habemus in ultima seu summa aliqua subsistere, quæ eadem est, quam nos DEUM adpellamus, ni eo temeritatis procedere velimus, ut universum hoc, nativa quadam vi, seipsum vivificandi pollere, aut casu concretum, adlerere velimus. Quo utroque dudum explorato, *conf;* Suicer: Phys: Aristot: Cartes: §. 153. m: p: 82. præter dictum tertium aliquid dari vix videtur. Concise simul

ac nervose de hac re Hugo Grot: de
 Jur-Belli lib. 2. c: 20. §. 55 *Res, inquit,
 aliquas esse factas ostendat sensus; res au-
 tem facta nos ad aliquid non factum de-
 ducant.* Item prælaud: Suicer, §. 80.
 p: 37. *DEUS sic nutu omnia agit, unde
 & motor primus appellatur, qui omnia movet
 immotus. Neq; enim materia à se existit, neq;
 à se movetur Essentia ipsius innuda & inertis con-
 sistit mole, ac proin ab alio, cujus virtus
 sit immensa, tanta moles moveatur, oportet.
 Ea vero nullius nisi veri DEI esse potest.
 Cæterum quo magis indubitata, even-
 tillataque est hæc assertio Philosophis,
 eo minus stilo nostro eget.*

THESE VI.

Probato jam tam ex notionibus na-
 turæ, quam causarum subordinatio-
 ne, in universi hujus automato dari
 DEUM, creatorem, primam causam
 & gubernatorem omnium rerum; Ter-
 tium jam erit quæsitum Regatur ne
 mundus unius an multorum Deorum
 potestate? nos affirmato priori, nega-
 mus posterius. *Evicto enim esse DEUM,*

facile etiam edincitur esse unum, verba sunt
 Clariss: Guilj: Grot: lib: de princ: Jur:
 natural: c: 5. §. 3. p: m: 69. quod potissi-
 mum ex prædicta summi entis neces-
 sitate probare adnititur: id enim nec
 concipi, nisi sub ratione unius, nec eo
 multiplicato necessitatis ratio reddi,
 repugnantia evitari, aut infiniti & omni-
 potentis attributa DEO convenire pos-
 sunt. Quæ eleganter simul ac solide
 insuper Lactantius confirmat, ex Æter-
 nâ mente: sic enim DEUM cum Pla-
 tonicis adpellat: cujus essentia si statu-
 enda, unam quoque esse necessario con-
 cedendum instat, Deumque cum Rege
 confert, qui tum demum proprie po-
 tentissimus dici meretur, cum totius
 orbis imperium tenet: Ita divisio inter
 plures Deos universi hujus partis
 minus virium singulâ habebunt, cum
 intra præscriptam ditionem, quemq;
 se continere oporteat. Denique negat
 omnino fieri posse ut dividatur summa
 rerum potestas *quicquid enim, ut ver-*
bis ejus utar, capis divisionem; Et in-

veritatem capiat necesse est. De quo eleganter Vossius Theol. Gent. lib: 1. c: 2. p: 11. Nec enim inquit, in DEO acquiritur pars post partem, sed totus est simul, juxta æternitatis definitionem, à Boëtio adductam in quinto de Philolohpiæ consolatione, ubi æternitas dicitur: interminabilis vite tota simul & perfecta possessio.

Porro etiam idem esse dicit sup: laud: Lactantius: mundum multis Diis gubernari & Exercitum pluribus imperatoribus regi, unumque corpus diversis mentibus moveri. Vid. lib: ejus. de fals: relig: c: 3. & c. Id: de Ira DEI c: 11.

THESIS VII.

Subtilissima prorsus elegantissimaque sunt ratioeina, quæ huic adfertioni adprobandæ stabilisendæque ab illustrissimo, multæque lectionis viro, DN de Mornay, lib: de verit: Christ: relig: c: 1. & 2. adferuntur, desumpta partim à Mundo, à quatuor sc. rerum generibus, utpote 1. Quæ simpliciter sunt 2. Quæ vivunt 3. Quæ sentiunt, & quarto, quæ ratiocinantur, quorum singula semper
ad

ad unitatem se applicant, adeo ut un-
 ras minus universalis, in unitatem ma-
 gis universalem, individua in speciem,
 species in genus, genera autem in ge-
 nus generalissimum reducantur; & sic
 consequenter ab iis quæ sunt aliunde,
 ad id quod ipsum sibi originem, nega-
 tive sc. quia aliam causam non agno-
 scit, debet. Partim etiam ab homine, in
 quo olim integro *συμμετρία* imaginis
 Divinæ emicuit, & nunc *ἐκτυπον* & a-
 nalogia totius universi relucet, unde
μικροκοσμοί adpellavere veteres Philo-
 sophi. Cujus animæ quanquam variæ
 eaque admirabiles, diversissimæque à
 corpore operationes sunt, una tamen
 est & tota in toto, & tota in partibus,
*ubi enim nulla quantitas ibi nulla perse ex-
 tensio* ut bene monet Dn. sperling: in
 synopsis Anthropolog: physic. lib: 1. c: 1.
 axioma: 3. p: m: 16.

THESES: VIII.

Non autem dissimulabimus tametsi
 difficile non fit statui Naturali ab
 omni parte hanc numinis unitatem
 adstru-

adstruere; vexatam tamen fuisse quaestionem: sint ne hæc argumenta solida an probabilia duntaxat? Prioris sententiæ fautor est Thomas Aquinas. lib. 2. c. 3. *sunt* inquit, *ad quæ etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est: DEUM esse, DEUM unum, & alia hujusmodi: quæ etiam Philosophi demonstrative de DEO probaverunt ductu rationis.* Posterioris vero Gabriel Biel in primum Magistri sentent: distinct: 2. quæst: 10. artic. 10. Censet enim is probabiliores magis rationes esse quam evidentes & certas. Nos autem siquidem libenter cum B. Basilio in Hexam: agnoscimus Mundum esse τῶν ψυχῶν διδασκαλεῖον, καὶ θεογνωσίας παιδεύηριον. Cum Piccolomineo quoque lib: de art: defin: & discurrendi Tit: Mundus, prægnantibus rationibus dici hominem præ omnibus animalibus μικρόκοσμον, sive creaturarum compendium, ut loquitur Joh: Buno: Id: Hist: univ: quamvis Aristoteles ad reliqua animalia per metaphoram applicare etiam velit. Igitur præeunte etiam Apostolo

Stolo ἀναπολογῆτες, ad Rom: I. v. 20. eos
 exclamante, controversiam hanc ver-
 bis Doctiff. DN. Vossi de Theol: Gent.
 lib 1. c: 2. concludimus: *Verum esto sane,*
ut sole, puta rationes, non sunt ἀποδεικτικὰ
at magnum eis pondus addit traditio vetus,
vum autem quod argumenta istac si non
prorsus ἀποδεικτικὰ, saltem usque adeo pro-
babilia sunt ut τῆς πολυθείας patroni nihil
ullius momenti adferre valeant, cur plures
quam unum statere DEUM, potius con-
veniat.

THES: IX.

Sed pro Numinis unitate cum Iude-
 mus adhuc obstare videtur, quod
 passim apud auctores, præcipue vero
 Poëtas, Deorum Dearumque tam fre-
 quens mentio fieri deprehendatur.
 Quemadmodum, ut alia taceam, obser-
 vat Georg: Mæbius de oraculo:
 Ethnicor: orig: cap: 6. p: m: 148. fuisse
 olim ultra ter mille Joves, & plures
 30000. bus falsos, Deos divino honore
 affectos, tandemque eo dementiæ ven-
 tum ait, ut præter eos etiam serpentes
 cepas

copas, olera quæ ipsi miseri plantave-
 rant, imo quod horribilius, Diabolum
 ipsum coluerint. conf: D. Danhav: col-
 leg: Decal: Disp. 2. §. 9. seqv. Ad quæ
 nos pro decidenda quæstione, pruden-
 tiæ Apostolicæ Actor. 17. comm. 22. &c.
 memores de Jove &c. Dicta, ad uni-
 cum illum summumque mundi recto-
 rem, spectare censemus. Ex commu-
 ni enim illa in divinitatis opinione con-
 sensu, notiones quas supra, adsertum
 ivimus, facile roborantur: Ex multi-
 plicatione autem hac, eorundem obscu-
 ratio; unde egregius est discursus
 Beyeri in addit: ad Seld: de D: S: c: 3.
 proleg: qui sic se habet: *Obscurari igi-
 tur quidem, pietatis illa cura naturaliter,
 homini infra potest, sed ut penitus extingvi
 poterit, tantum absuit, ut potius degenera-
 verit, & nefario ausu incrementa sumserit.
 Crassi enim & rudes homines, Deum illum
 natura Dominum, ad quem tamen sensibus
 docebantur, pratercuntes, quæ intuitu pal-
 lida atque admirabilia in erbe spectarent, aut
 vitia deprehendebant, imo noxia ne nocerent &
 surpis quandoque sine ratione, ope Diaboli,*
 judi-

judicioquo illo suo hebetissimo, tardissimo, nequissimo, in Deorum censum assumebant; Inde πολυθεότης undique fere vires sumpt, licet emundiores NB. naris, unum saltem esse DEUM non ignorarent.

THESES: X.

Ad evidentiores autem de hac re formandos conceptus, multum facere opinamur distinctionem illam inter Deos populares & Naturalem; Populares enim quamvis plures esse crediti sunt; Naturalis tamen semper unus putabatur. e. g. Sol, (quamvis hoc ipso deliraverunt, Dominumque Φῶς οὐκάντα ἀπρόσιτον non recte caperent hominum illi calamitosissimi) illum tamen omnium maximum, imo μόνον ἕραν ἃ θεὸν nuncuparunt, Phœnicū Theologi, cujus nutum observare opinabantur Sydera. Sic etiam priscis Ægyptiis do-decatemoria signiferi, θεοὶ βελταῖοι seu Dii consiliarii, Planetæ vero ῥαβδοφόροι h. e. lictores qui accensi solis consistorio adstarent, censebantur. conf: Seld. de Diis Syr: p: m: 27. idem etiam de veteribus

teribus Philosophis legitur. De Platonem narrat Stockman Elucid. hæresium & Schism: p: m: 311. Quod apud se ipsum de hac numinis unitate omnino erat convictus, ratio autem cur populares Deos atque cum Populo simulacra veneratus sit; hæc erat, quod populum magis quam DEUM reveritus fuerit. Aristoteles dum hoc conscientia dictamine ductus, unum atque primum universi motorem exprimere vellet, versum hunc ex Homero citavit.

ὄχι ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν ἕσθαι

In hoc etiam Socratem & Platonem convenisse, asserit Plutarchus, & utrumque docuisse unum siugulare & per se subsistentis naturæ ac solitarium vera bonum esse, omnia autem reliqua nomina ad mentem referri. vid Tom. 2. Oper: de placit Philosoph. p: 831.

THES: XI.

Nos itaque his positis, tale demum superaddimus Judicium: Quod sc. popularis hic error nihil magis præjudi-

judicii, veritati faciat, quam populi
 judaici, cui licet nota exactissime erat
 hujus supremi unitas, ad exteraneos
 tamen deficere Deos, non veritatem
 fuisse inpropatulo est. Sed pro Θεοτεω
 constitutione haectenus. Nunc incum-
 beret etiam ut secundum modulum in-
 geni nostri, levi penicillo ipsam ansam,
 five causam πολλοθεωσ impulsive ad-
 umbrarem; sed quoniam brevitati li-
 tare necessum habemus, igitur juxta
 quod omnis mali lernam atque fontem,
 in spontaneo Adami lapsu ponimus;
 nulli ambigimus, haec horrenda ejus
 incrementa ataque progressus, ex Ver-
 bi Divini, five carentia, five neglectu
 aut etiam non recto usu coepisse, consti-
 tuere. In cujus illustrationem, verborum
 solummodo ponderosissimorum (Ioh.
 Henr. Reitti. in Not: ad Goodow.
 Moses & Aron lib. 4. c. 1. p: m. 314) reci-
 tatione erimus contenti, quæ ita sonant:
*Usus verbi non rectus peperit hereses & Schi-
 smata, neglectus rejectionem & indurationem
 alicujus populi, carentia autem, errorum
 semina*

seminarium est. Nam cum nosler intellectus
 post lapsum à γνωσία laboret, non prælucente
 Divini verbi face ruit in errorum Oceanum,
 præsertim circa spiritualia, & divina, quæ
 comparat homo naturalis corporalibus. Hoc-
 que accidit facile inde 1. quia mens tam ar-
 dte alligata est corpori & sensibus annexa, ut
 sit difficile eam ab his abstrahere. 2. quia
 ea non deponit præjudicia capta in infantia.
 3. Quia per passionem animam distrabentes,
 iudicium turbatur. Unde videmus ex caren-
 tia verbi enasci duas furias, Atheismum &
 Idolatriam. Proprie quidem illæ duæ filie
 matrem habent ignorantiam, quæ post lapsum
 est naturalis, illa autem ignorantia castigari
 potest verbo, quod si abest. Atheismus & Ido-
 latria necessario srumpunt. Sed hæc pro
 nostri instituti ratione sufficiant, ade-
 oque manum de tabula.

Tibi Christe, sit cum Patre
 Hagioque Spiritu,
 Hymnus, melos, laus perennis,
 Gratiarum Actio,
 Honor, Virtus, Victoria,
 Regnum æternaliter,
 Seculorum Seculis!

Fratri suo integerrimo notitiam summi
Entis ex naturæ fortibus faviter
adstruenti!

Notanter omnino Xenophon: *Necessitas,*
omnia docet rationumque inventrix est.
non hic verbo eos hominum nequissimos di-
gnos voluit, qui adversos fortunæ ictus, non
pro virtutis, sed variorum flagitiorum stimu-
lis, excipiunt; eos vero excolit, qui æquam
in omnibus adversitatibus servare mentem
didicerunt, quique haud secus ac Apis ex
omnibus herbis favum sibi quæ parat, fortu-
nam plerisque frangentem, suam credito-
nem atque progressum esse curant. Sed brevi
ut me expediam: inter hos tu fratrum desi-
deratissime es, tu à puero fortunæ varietatem
animadvertisti, cum variis studiorum confi-
ctatus fuisti difficultatibus, cujus gnarus alius
non potest esse, nisi ille qui rerum familiarium
nostrarum notitiam habet; Intrepidum tamen
laboriosum, maximeq; indefessum te ostendisti
Musarum satellitem. Quod non possum, quin
jam hæc oblata occasione Tibi congratuler,
imo

imo & maxime iniquus essem, nisi hoc facerem. Antea in Cathedra concionatoria, assiduitatem, Zelum arque devotionem tuam nemo non suspexit; nunc disputatoriã conscendens, parem etiam sedulitatem ostendis, gloriamq; Dei quam semper ore, cordeque servas non solum in templo Dei, verum nunc etiam in Academia inter docta Colloquia, propalas. Perge itaque quo cœpisti pede: patienter ex cipe, si quid adhuc adversi tibi fortuna oblatura est: verbi gladio, ea quæ Christi regnum turbant, seca; hac enim ratione non solum amicissimos tibi omnes bonos reddes, finemque cui te consecrasti. Obtinebis, verum etiam cœlum quod omnibus fidelibus vineæ Christi operariis, promissum est, Te æternâ cum felicitate manebit.

Så lön O Himmel wäl/ den dig weet Idmiukt wårda/
Ét sågna sig den Själ som willigt drar din byrda/
Ét som på Natten Dag/ och uppå Månen Soll
Uppgå ett gått behag uppå des Glädje-Pol.

Vale Matris solamen, Fratrum decus, Sororum gaudium, Affinitatis desiderium, Vale iterum atque iterum. Vale.

Tuus Corpore & animo germanissimus est

CAROLUS EDXV.

Ad

*Ad Reuerendum & Doctiffimum Dominum
Respondentem*

ERLANDUM TORUN/

Cum solertem Dissertationem de NECES-
SITATE SUMMI ENTIS, proprio conscri-
ptam Marte, doctè defenderet;

Congratulatio.

Omnibus in studiis, per quæ siveit co-
luisse

Pectus, qui sociâ Pallade tentat iter
Obrinet id meritò, puræ quod religioni
Affertur; nec non quando operam lo-
cat his,

Quæ dant naturæ vires in cognitione
Numinis excelsi, quodq; & ab omni-
bus id

Mente colendum sit castâ. En hæc tu ve-
nerande

Respondens tradis perspicuè atque
benè.

Macte igitur studio vir: cum virtutis
honore,

Sic labor assiduus præmia digna feret.

*Hæc pauca L. Mg. ad-
posuit*

CONRADUS QUENDZEL.